

91 norum pontificum, cibus innotexit, et propterea aliud nobis nobis nihil agendum restaret, nisi ut eos, tanquam ethnicos et publicanos, a grege fidelium ejiceremus et tanquam scabiosas oves a caulis nostris repelleremus, ne totam domum, massam et corpus arde- re, putrescere et interire eorum contagione contingat. Tamen cum illius, licite non nostris meritis, vices geramus, cujus misericordiae mensuram erga poenitentes et ad cor redeuntes metiri non possumus gaudetque super uno peccatore praesentiam agente, non duximus ommittendum, quin denuo paterna caritate, cum censurarum, ut res ipsa postulat, appositione, illos per praesentes apostolica auctoritate hortemur, requiramus et moneamus ad auctoritatis hujus sanctae sedis et libertatis ecclesiasticae recognitionem, nec non ad rerum et dominiorum ad nos et romanam Ecclesiam spectantium, per eos occupatorum, integram restitutionem. Praefatos itaque Leonardum Lauredanum, ducem, et rogatorum ac generalis consilii nuncupatorum consiliarios, ac commune Vene-
 91 tiarum omnesque et singulos patricos et cives dicti communis Venetiarum, provisores, potestates, commissarios et officiales eorumdem, tam in dicta civitate Venetiarum, quam in praefatis nostris civitatibus ab illis occupatis, quorum nomina, cognomina, qualitates et dignitates hic pro expressis habemus, eorumque complices, adhaerentes et fautores, cujuscumque status, gradus et praeminentiae existant, et quacumque dignitate etiam regali, patriarchali, archiepiscopali, vel alias quavis ecclesiastica vel mundana dignitate praefulgeant, auctoritate nobis a Deo omnipotenti concessa et de nostrae plenitudine potestatis, per praesentes in Domino requirimus, monemus et cuilibet eorum tenore praesentium per haec scripta mandamus, quatenus, infra XXIII dies post affixionem praesentium in valvis basilicae principis apostolorum de urbe immediate sequentes, quorum octo pro primo, octo pro secundo, octo pro ultimo et peremptorio termino, canonica monitione praemissa, eis et cuilibet eorum assignamus, dux, rogati, consiliarii, provisores et commune praefatum Venetiarum singulaeque dicti communis personae, a praemissis excessibus publice damnatis, ut praefertur in dicto processu, qui legitur in Cœna Domini, omnino abstineant, et nos sanctamque hanc sedem apostolicam plene et omni ex parte in concessa sibi auctoritate et libertate cum debita obedientia recognoscant et reintegrent; nec non etiam infra dictos XXIII dies assignatos eisque pro peremptorio, terminis ut supra, praefati dux, rogati, consiliarii, provisores, commune Venetiarum et dictorum

consiliariorum, rogatorum atque communis singula- res personae, ravennatensis, cerviensis, ariminensis, faventina et sarzinatensis civitates, cum oppidis, castris, terris et districtu earum, ac sesenatensis et forliven- sis et imolensis territorii, castra, oppida, terras et loca, quae occupant, integre et libere nobis et romanae Ecclesiae, cujus juris esse noscuntur, relaxent, et cum fructibus etiam, quos percipere potuerunt, plene restituant; provisores, potestates, castellani et alii quicumque officiales ac stipendiarii nomine praefati veneti Domini, eorumque adhaerentes, fautores et complices exinde recedant, nec aliquod impedimentum quovis modo praedictis civitatibus, oppidis, castris et locis eorum civibus et habitatoribus praesent, quominus libere ad obedientiam matris suae romanae Ecclesiae revertantur; consultores quoque
 91 eorumdem auxiliares, adhaerentes, complices ac sequaces a praestatione auxilii, consilii et favoris hujusmodi contra praedicta omnino cessent. Et si dux, consiliarii, commune, singularesque personae supra dictae, provisores, fautores, complices, sequaces et adhaerentes praedicti, exhortationi, requisitioni, monitioni et mandato nostris hujusmodi infra dictos XXIII dies non paruerint cum effectu, in eosdem Leonardum, ducem, rogatorum et generalis consilii consiliarios et alias singulares personas communis praedicti Venetiarum, nec non provisores, fautores, consultores, adhaerentes, complices et sequaces et quemlibet eorum, ac si nominatim singuli praesentibus essent expressi, qui sic non paruerint, aut non pareatur, seu pareri defferatur, consuluerint, suaserint, fecerint, dixerint vel procuraverint, seu alias qualitercumque in hoc culpabiles fuerint, directe vel indirecte, tacite vel expresse, ex nunc prout ex tunc, de eorumdem fratrum consilio majoris excommunicationis sententiam promulgamus, et eos illam incurrere volumus eo ipso, a qua, praeterquam in mortis articulo constituti, ab alio quam a romano pontifice, etiam praetextu cujuslibet facultatis, cujuscumque pro tempore desuper concessae, nequeant absolutionis beneficium obtinere; ita ut, si quem eorum, tamquam in tali articulo constitutum, absolvi contingat, qui postmodum convalescit, in eadem excommunicationis sententiam reincidat eo ipso, nisi post convalescentiam monitioni et mandato nostro praedictis paruerit cum effectu; et nihilominus etiam ecclesiastica careat sepultura, donec, ut praefertur, hujusmodi mandatis nostris paritum fuerit. Et si moniti, excommunicati praedicti dictam excommunicationis sententiam per alios tres, dictos XXIII dies im- mediate sequentes, animo, quod absit, sustinuerint in-